Caesar, Gaius Iulius; Glareanus, Henricus Loriti [Oth.]: C. Ivlii Caesaris Commentarii
Friburgi Brisgoiae, 1546 Seite 446



cum periculo magno, tum etiam majore periculi fama, dimicabat. Q. Caßius Lõginus in Hispania pro prætore, Prouinciæ ulterioris obtinendæ causa relictus, siue consuetudine naturæ suæ, siue odio, quod in illam prouinciam susceperat quæstor, ex insidijs ibi uulneratus, magnas odij sui fecerat acceßiones, quod uel ex conscientia sua, cum de se mutuo sentire Prouinciam crederet, uel initis signis, & testimonijs eorum, qui difficulter odia dißimulant, animaduertere poterat, & compensare offensionem Prouinciæ exercitus amore cupiebat. Itaque cum primum in unum locum exercitum conduxit, sestertia C. militibus est pollicitus, nec multo post, cum in Lusitania Medobregam oppidum, montemq; Herminium expugnasset, quo Medobregenses confugerant, ibiq; Imperator esset appellatus, iterum sestertijs C. milites donauit. Multa præterea, & magna præmia singulis concedebat, quæ speciosum reddebant præsentem exercitus amorem, paulatim tamen, & occultè militarem disciplinam, seueritatemq; minuebant. Caßius legionibus in hyberna dispositis, ad jus dicendum Cordubam se recepit, contractumq; in ea æs alienum grauißimis oneribus Prouinciæ constituit exsoluere, &, ut largitionis postulat consuetudo per causam liberalitatis speciosam, plura largitori quærebantur, pecuniæ locupletibus imperabantur, quas Longinus sibi expensas ferri, non tantum patiebatur, sed etiam cogebat, in gregem locupletium simultatum causæ tenues conijciebantur, neque ullum genus quæstus, aut magni, & euidentis, aut minimi,

Q. Caßius Longinus.

Odium Caßij.

&

© Universitätsbibliothek Heidelberg
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/caesar1546/0481